# DE AVSPICATISSIMIS NVPTIIS.

## ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS D. FRIDERICI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFERI, ET ELECTORIS, &c. Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis *Bauariæ*, *&c.*

## CVM ILLVSTRISSIMA *PRINCIPE D. ELIZABETHA* SERENISSIMI MAGNAE BRITANNIAE, *&c.* Regis Filia Vnigenita Poëma.

Anno Domini, 1613.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI DOMINO FRIDERICO V. COMITI PALATINO AD RHENVM, S. ROMANI IMPERIJ Archidapifero, & Electori, Duci BAVARIAE, &c.

ET

# EXCELLENTISSIMÆ PRINCIPISSÆ ELIZABETHÆ

Filiæ vnicæ Sereniſſimi Magnæ Britanniæ *Regis IACOBI, eius Sponſæ feliciſſimæ* omnia bona exoptat.

INTER *alia admiratione digna (Sereniſſimi Principes) quæ Rex* Salomon *Reginæ Sabæ oſtendit, fuit annulus aureus, in cuius ſummitate duæ Coronæ, aurea vna, ſpinea altera, coniunctæ erant cum inſcriptione:* VICTORIA AMORIS. *In ipſius autem annuli circulo ſex literæ deſcriptæ erant.*

A. C. F. R. I. C.

*Quarum literarum ſignificatum quum nemo interpretari potuiſſet, demũ ipſe* Salomon *triplicem appoſuit declarationem.*

*Aurea Corona Fortiſſim⁹ Regnat In Cælis.*
*Aſpera Corona Filius Redemptor Inferiora Calcabit.*
*Amoris Cognita Fortitudo Regalia Inſignia Copulabit.*

*Liceat mihi (Fæliciſſimi Sponſi) Annulum hunc pro veſtro Regali ſponſalitio interpretari: vt enim illius figura immortalitatis*

*utatis æmula finem non habet, ita ex iſtis* Auſpicatiſſimis Nuptijs Heroum *Progenies perpetuò Regnatura procedet.*

*Sunt & in veſtro Coniugali Anulo duæ Coronæ coniunctæ* Britannica, *&* Palatina, *huius autem Coniunctionis* VICTORIA AMORIS EST.

*Eaſdem has literas noua Interpretatione fas ſit in veſtram gratiam explicare.*

| A. | C. | F. | R. | I. | C. |
|---|---|---|---|---|---|
| *Archidapifero* | *Comiti* | *Filia* | *Regis* | *Iacobi* | *Coniungitur.* |
| *Anna* | *Charum* | *Fedricum* | *Recuperat* | *In* | *Connubio.* |
| *Accipit* | *Carolus* | *Federicum* | *Rheni* | *In* | *Cognatum.* |
| *Alma* Eliſabet | *Comiti* | *Federico* | *Regia* | *Iungitur* | *Coniux.* |
| *Auguſtus* | *Creabitur* | *Federicus* | *Romani* | *Imperij* | *Cæſar.* |
| *Antechriſti* | *Comes* | *Federicus* | *Rheni* | *Inſignia* | *Calcabit.* |
| *Archiepiſcopus* | *Cantuarienſis* | *Federicum* | *Regali* | *Iunxit* | *Coniugio.* |

*Vos ergo, Par ſpectatiſſimum, Sociali Gaudio in multos annos fruamini, & dum facili hac manu accipitis, animum addite authori, vt hilariter proſequatur quæ habet inſuper de hac materia ſcribenda.*

Veſtrarum Celſitudinum

Deuotiſſimus Seruus,

IOANNES MARIA *Franch.*

# DE AVSPICATIS-
## SIMIS NVPTIIS.

### Argvmentvm.

*Concilio ſuperûm Pietas, violata maligno*
*Inuolens Acheronte, petit ſibi mæſta Deorum*
*Auxilium. Summuſq; Pater fœlice Duorum*
*Coniugio promittit opem, Regnumq; per æuum.*

SCeptra *Palatinis* commixta *Britannica* Sceptris,
Exoptata diu ſocialia fœdera terris,
Et compacta prius nubialia vincula Cœlo
Mens cantare iubet; rapidoque incendimur æſtu,
Montibus Aonijs deducere carmine Muſas.
Tu Soror, & Coniux, ſummo dignata Tonanti
Pronuba *Iuno* faue, comitare per ardua vatem:
Scilicet, vt nobis limen radiantis Olympi
Audaci penetrare gradu; ſedeſq; beatas
Sit fas mortali tenui luſtrare cothurno.
Voſq; Panomphæo proles ſpecioſa Parenti,
Nympharum cætus, colitis ſeu quæ æquora vaſti
Oceani, denſæ aut quæ occulta cubilia ſyluæ;
Vel quæ conſpicuos regitis per deuia fontes
*Thameſis* æſtiflui, ſeu flaui littora *Rheni*,
Aſpirate precor, tantiſq; aſſiſtite cæptis.
Poſt mea ſpumabunt veſtris altaria donis,
Et ſacra libabunt fumantes Numina fibræ;
Ipſe Cupidinea præcinctus tempora myrto
Votiuas referam thuris crepitantis acerras.

*Iupiter* aſtrifero reſidens ſpectabilis axe
Concilium ſolenne ciet, celebremq́; Senatum,
Quo ſtabili inſtabilem regit optimus ordine Mundum.
Inde ſubit Natura vices; Vegetatio vires;
Materies formam; decus hæc; Priuatio caſus;
Principium numerus; ſpecies, & robora Motus;
Mobile menſuras menſurans omnia Tempus;
Cauſa ſuas cauſas; gyros Fortuna rotarum;
Nec ceſſura vllo medio ſua pondera Fatum.
Inde perennales ſolis, lunæq́; labores,
Arctophylax Vrſæ cuſtos, geminiq́; Triones,
Pleiades, atque Hyades oriuntur, & aſper Orion,
Nimboſi Piſces, animoſaq; ſigna Leonis,
Et genialis aquis *Capricornus* lotus Iberis,
Diuerſoſq; trahunt rutilantia ſidera fluxus.
Inde hominum genus egreditur, genus inde ferarum,
Et quidquid natitat reflui ſub gurgite Ponti,
Et quidquid latitat patulæ ſuper aggere Terræ;
Et quidquid volitat recaui ſub fornice Cœli;
Et quidquid retinet vel Terra, vel Vnda, vel Aër.
Aſt hominum ſpecies ſpecie ditata ſuperna,
Sanctius his animal, mentiſq́; capacius altæ,
Eſt amor, eſt ingens ſapientum cura Deorum,
Deliciumq́; Poli, Diuumq́; æterna voluptas.
Quippe hominem propter reliquarum ſemina rerum
Condidit Omni-parens, hunc propter cuncta tuetur,
Sollicitáq; videns longè ratione gubernat.
Ergo vbi ſidereos proceres Cyllenius ales
Ad magni mandata *Iouis* de more vocauit,
Conueniunt Superi (Sanctum Conclaue) frequentes,
Et ſubeunt celſas ædes, atque aurea tecta,
Splendentes Tyrio varijs ornatibus oſtro,

*Deorum Concilium.*

Cer-

Certanteſque noua ſocios præcedere pompa.
Iam Rex Cœlicolûm throno ſublimis in alto
Cernitur: attollit ſe Diua *Lacinia* contrà,
Et veneranda Deûm Genitrix annoſa *Cybelles*.
Iamque pererratis zonis Pataræus *Apollo*
Quadrijugo vectus curru lucente Smaragdis;
Et tener aurato, quem circuntexerat vuis,
Lyncibus vnitis aſcendit *Bacchus* ab *Hemo*.
Ambo *Tindaridæ* pennis, pileoque micantes,
Nunc ſimul adiuncti calcarunt aſtra Gemelli.
Et ductus *Boreæ* plauſtro Tyrinthius *Heros*,
Prætectus ſcapulis Næmei cortice monſtri.
Cælebs Arcadiæ poſt hos Regina *Lyæi*
Aſtrorum decus, & nemorum *Latonia* cuſtos.
*Gorgonis* anguicomæ calatas ægide formas
*Pallas* habens aderat, ſed tota quieta ſub armis;
Terribiliſq; Polo ſolitus miteſcere *Mauors*.
Hic rubicunda *Ceres*, *Nemeſis* componitur illic,
Iſthic *Acidaliam* conſtipat gratia Matrem,
Atque pharetrati (cunctorum terror) Amores.
Non procul hinc reſidet palla ſuccinta rubenti
Filia *Iunonis*, malis iuuenilibus *Hebe*.
Cui comes eſt Veris luxus, *Zephyreia Chloris*,
Et *Lucina* potens fœtis, formoſaq; *Maia*.
Venerat *Hippotades*, frænat qui carcere ventos,
Carpathiuſq; manens certa hic in imagine *Proteus*,
*Neptunus*, *Nereuſq́*, *Pater*, grandæuaq; *Doris*,
*Cymothoeq́* decens, & cætera Numina Ponti.
Hîc cultæ 2 *Driades*, comptæ huc & *Oreades* adſunt,
*Pan* hilaris, *Fauniq́* alacres, Satyriq; valentes;
Et montana *Pales*, & cætera numina Syluæ.
Claudus at inuento velox *Vulcanus* in igne

2 *Ouid. in Ibin.* *Vos quoque plebs ſuperum Fauni, Satyriq́ Lariſq́.*

Venit, erat ſecum curua Caducifer Harpe.
Alma quies aderat. Lætâ Pax aurea fronte;
Cultus Honor, leniq́ue placens Reuerentia vultu,
Fulgida Maieſtas, habituque decora verendo,
Intemerata *Fides*; pollens *Concordia*; ſimplex,
Et facilis *Probitas*, oculis ſincera modeſtis.
Adraſtæa pares ſapiens librare bilances,
Et laudata cohors Heliconia denique Phœbi
Exuuijs ornata nouis, trabeatáq; gemmis,
Implerat ſuperi ſubſellia flammea Templi.
Sic bene diſpoſita cunctis in ſede locatis
Rebus adaptabant diuina oracula, quando
Vnica de tantis afflicta ſororibus ecce
In ſe acies omnes [d] Theoſebia verterat: olli
Pallent fronte genæ, paſſi ſine lege capilli,
Squallida veſtis; honos nullus; popularis, & expers
Tota ſui decoris. Qualis ſub nube madenti
Turbidus apparet *Titan*, vel qualis amati
Plorabat *Phaetontis* iter, caſumq́ue, necemq́; ,
Immemor ipſe ſui, lucemq́ue, diemq́; peroſus.
Quam Deus aſpiciens oculis, quibus omnia cernit,
Vix cohibet lachrymas patrio commotus amore;
Rem tamen abſcondit; Natamq́; benignus anhelam
Voce pia alloquitur. Quiſnàm, mea Filia, triſtis
Oppreſſit tua corda dolor? quò veſtis honores?
Quò cultus abiere tui? quæ ſigna gementis
Aſpicio? quis tanta auſus? ſors improba, rurſus
Terra Gigantæos nixa eſt in prœlia partus?
Fare age, ne fletus cauſas abſconde Parenti.
Illa autem poſtquam dubiam ſuſpiria vocem
Interrupta ſinunt, pleno ſingultibus ore
Ploranti ſimilis poſcenti talia fatur.

d *Religionem ſignificat quæ tunquam diuinum numen ad Con. acceſſerat.*

*Querela Pietatis coram Conc. Deorum.*

Om-

Omnipotens, qui ſolus agis mirabile quidquid
Eſſe datur, preſſoſq; leuas, reprimiſq; prementes,
Scilicet ignota eſt noſtrorum cauſa malorum?
Deijcimur ſolio, totoq; excludimur orbe.
Non Tellus inimica mihi; non illa Gigantes
Excitat extruſos. In nos peiora faceſſit
Tartarus immanis, vi portentoſus, & aſtu.
Quippe [e] cohors ſcelerata ſpecu Phlegetontis iniqui
Exilit atra, nimis ſtygijs armata procellis,
Et prohibet noſtris pacatas viuere regnis;
Et quoties fractum patria depellimus hoſtem,
Prole noua toties truncata renaſcitur Hydra
Inſidioſa magis, cunctis interrita damnis,
Aſperiorq; dolos mitem coniurat in oram.
At quanquam ſæuum narrando nouabimus vlcus,
Flebilibuſq; ſonis lætam turbabimus aulam
Empyrei, narrabo tamen: quia præcipis ipſe.
Hoſtis ab inuaſa poſtquam ditione fugatus,
Vnde fuit [f] Princeps, & nulla lege Tyrannus,
Ambitione furens, & nunquam ferre paratus
Exilium, fremuit, teſtatus rictibus iram,
Ore ferox, fuſca ſuffuſus lumina morte,
Naribus & laxis effudit faucibus ignem;
Conflixit palmas, & pectora ruuida planxit
Toruus, fulmineus: vaſtoque excuſſum vlulatu
Aëra diſrupit, rigidis fidit vnguibus ora,
Horrentes vulſit ſetas, & labra momordit.
Nec potuit proprijs ſimulare paludibus acrem
Pectoris accenſi rabiem, tumidumq; dolorem.
Quippe per infernas horrendo murmure valles
Pellimur, inquit, adhuc? nec noſtro ſanguine victor
Exaturatus erat? nec ſat de partibus illis,

[e] *Innuit ad Ieſuitas, & tranſfugas, qui ex orco mittuntur, ad ſeditiones in Angliam infernalib. armis nempe igne, ſulphure, &c.*

*Narratio Pietatis.*

[f] *Princeps huius mundi eſt Dæmon.*

Quas mihi ſtirps dederat, generiſq; excelſa poteſtas,
In Styga perpetuæ noctis turbâſſe colonum,
Ni quoque de regnis, quæ iuſti iure duelli
Vicimus, & placidè longo poſſedimus æuo,
Deijceret? quo iure? quibus rationibus? & poſt
Iuſtitiam toties iactat, iuſtuſq; vocari
Imperat, & tantùm ſtat pro ratione voluntas?
Non feret hoc Erebus. Framea munitus & haſta
Defendet ſibi iura ſoli. Fortaſſe pigebit
Magnanimum toties ſtimulaſſe in prælia *Ditem:*
Nos turbâ ſuperare poteſt, & ſorte, locoque,
Non cauſa, aut animis, nec forſan fortibus armis;
His nunquam iuſtè victus dicetur Auernus.
Viderit ereptis terris, quibus auſibus illuc
Præproperabo iterum. Quò me feret impetus iræ,
Proſequar indomitus, vires dolor improbus addet,
Atque dolens alijs ero cauſa tremenda dolendi.
Sic vult, ſic habeat. Semper violentior ibo,
Quò magis arcebor. Vigila ter maxime vindex,
Telluris regimen nunquam tranquillus habebis.
Hæret, & immenſis ad ſe clamoribus vſtas
Acciuit Furias. Iſtis ſua damna, ſuumq;
Dedecus extendit, jus multùm exaggerat, atque
Vindictam expoſcit, paſſamq; rependere ſortem.
Ite (meum ſpecimen, mea gloria magna, meumq;
Præſidium) dixit, puros inuiſite tractus
Imperij veſtri; priſcos renouate triumphos;
Et ſolitos titulos, raptaſq; reducite plebes;
Et noſtras aperite domos: & cultibus aras
Antiquis fundate nouas, ſoliumq; perenne
Inſidijs, animis veſtro componite Regi.
" Dum tamen hæc cedat, quà vult victoria cedat

*Aeneid. 2. dolor, an virt°, quis in hoſte requirat.*

" Semper

" Semper erit viciſſe ferum laudabile bellum.
Sit *Fatum* quodcunque volo, nec *Iupiter* obſtet,
Nec cœlum impediat; nec terra inſana reſiſtat.
Dixerat. *Eumenides* fœtentibus ignibus vdas
Sulphuris *Æthnæi*, nitriq; tepentis, & atri,
Incendêre faces: ſpumam latrantis abore
Tergemini terſere Canis, rabidumq; *Chimeræ*
Monſtriferæ vomitum, tantiſq; paratibus auſæ
Conſcripſêre acies, & ad horrida claſſica centum
Luctificæ venêre Trices. Paſtiſq; colubris,
*Teſiphone* ſocias irritataſq; proteruis
Mouit atrox ſtimulis, facilemq; accendit in iram,
Et conjuratæ clamant arma, arma phalanges.
Cymmerios liquêre lacus; & aperta ſereni
Appetiere orbis; tetricæ Babylonis in aruis
Turpis Auaricies nigricantia caſtra locauit,
Signum ſeptenis ſuper extulit arcibus Orci
Vana Superſtitio, tormentaq; fuſa venenis
Si ſit opus ſubito frontoſa Superbia tendit.
Hinc inde annonam reparat temerarius Error;
Debilis Hypocriſis vigilans tentoria ſeruat.
Attamen, vt melius ſucceſſibus omnia cedant,
Inſtituunt verſare dolos; niſi vincitur iſtis,
Tunc adhibêre minas, gladioſque, neceſq; cruentas.
Principio vertunt funeſta vocabula Læthes,
Et ſacra componunt ſtolidum fallentia vulgus.
Tunc Acherontigenæ *Ditis*, Mortiſq; miniſtræ
Depoſuêre vetus deductum nomen ab 1 Igne,
Et poſuêre nouum deductum nomen ab Agno,
Eſſeq; dixerunt Domini, vitæq; miniſtros.
Tetrica tunc Babylon, Vrbs ſancta; Medela piorum
Turpis Auaricies; Deuotio vera vocatur.

1 *Alludit ad Ieſuitas qui ab Ignatio, qui deducitur abigne, eo nomine repudiato dicti ſunt ab Agno, nempe a Ieſu.*

Vana superstitio, Frontosa superbia zelus.
Est pia 5 credulitas dictus temerarius error;
Debilis 6 Hypocrysis Perfecta Impletio legis.
Singula sic propria prætexunt crimina laude.
Inde tegunt alijs fumatos vestibus artus,
Immitesq; Lupos sub ouina pelle recondunt.
Exteriùs vultus humiles, oculosq; pudentes,
Sermones placidos Cœlumq; Deumque sonantes,
Ingenuos gestus, planos sine murmure mores.
Interiùs cædes spirant: præuertere regna,
Perdere Magnates, magnosque occidere Reges,
Si contra dicant; renuant si ferre tributum,
Obsequiumuè negent, nec subdant colla Tyranno.
Sic vice conuersa falso *Menedemus* amictu
Exploratorem rigidi se fecit Auerni.
Hei mihi plus nocuit sub opertis fraudibus hydrus,
Quàm si terribili clanxisset sibila fauce,
Quam si terribili vomuisset ab ore fauillas.
Sic Amathusiacæ sub amata veste capellæ
Decipit incautum 7 Sargum Piscator ad vndas,
Decipit incautas turbas, vt falsus Auernus,
Blanditias simulans dum pontica toxica fundit.
Hei mihi quis referat damnabilis agminis artes,
Et positos laqueos? nec docta *Minerua*, nec *Hermes*
*Chrysologus* posset tantas distringere tricas,
*Vertunnusvè* agilis tantos eludere casses,
Quêis mentes hominum, & nostros venatur honores.
Id tamen in primis 8 conamina noxia viuit,
Progressusque dedit latos, nomenque, fidemque,
Quòd sacra iura palam non auersatus Olympi,
Aut mandata Deúm, responsaque lata priorum,
Finxit amare Polum, Diúumque arcana tueri.

*5 Quia in novis articulis ab ipsis fundatis cum destituuntur a Scriptura dicũt est Pium credere.*

*6 Statum Perfectionis appellat Monachismum.*

*7 Alciat. Enbl. 75.*

*8 Præcipua ars Antichristi est simulare se Dei Advocatum.*

Quodque

Quodq; ſuas 1 partes, & cornua ferrea frangit,
Hoc quadrare ſuis verſutus partibus inſit
Candida de nigris, & de candentibus atra.
Inuertenſq; malis clariſſima ſenſibus audax
Pertrahit amentes in deuia dogmata ſectas,
Deuincitq; 2 animos pretijs, & honoribus arctat
Sacrilegas totis defendere viribus arces.
Hi quoſcunq; mouent lapides, & iniqua Tyranni
Auſpicia amplificant, titulosque, Viceſq; ſuperbas
Adijciunt Domino pluſquam deſiderat ipſe.
Hinc audet quæcunq; libent; & fulmina toti
Bruta vibrat, factus tibi *Iupiter* 3 æmulus, orbi,
Et cuicunq; placet Diademata donat, & aufert.
Quid? quod & abſenti 4 peccata remittit, & addit,
Et ſibi iura rapit ſuper vmbras æthere caſſas.
Inſimulatq; nouas purgantes crimina flammas,
Vt tegat inuentis æternos ignibus ignes,
Nec tantum infelix mundo trepidetur auernus.
O quoties probri, ſcelerumq; ignobile vulgus
Infandum ſparſêre nefas, & mille prophanos
Inſeuêre animis creſcenti fœnore cultus,
Quos plebs rapta nimis male ſana deinde ſecuta
Auxit, & exhibuit, multum ridente Megera
Commentis proprijs ipſas viciſſe Magiſtras.
O ſcelus, ô Sancti ſcelerata obliuia Iuris!
Hæccine tuta Fides? hæc Religionis imago?
O quoties cæcæ gentes pro flamine ſancto
Depictos coluere ſudes! pro Numine vero
Inſanas corni vacuæ ſimulachra precantur,
Munera dant, lachrymas, accedunt pectora palmis!
Quin immortali pro germine funus adorant,
Tentantes ſuperos, vt qui coluêre colantur;
Numinibuſq; ſuis confecta cadauera tabo

1 *Secunda torquere, & ad ſuos ſenſus extrahere Scripturas.*

2 *Tertia aſtutia honoribus & pretiis animos corrumpere.*

3 *Appellatur enim vicæ Deus.*

4 *Cum per Regna venales mittit Indulgentias.*

Supplice voce vocant; aſternanturq; Sepulchris,
Non audituræ fundentes irrita morti
Vota, quibus ſemper tua tantùm inflectitur auris.
O quoties 1 etiàm, ſi quis fortaſſe repugnat,
Et tumet, & varijs inſurgens bellua bellis
Intulit arma manu, paſſimq; pericula ſtruxit?
Vſq; adeo audacis creuit dementia monſtri,
Vt nihil intactum, nihil vt dimittat inauſum.
Tænarijs nuper natiua 2 bitumina ſtagnis
Diripiens, miſcenſq; putri cum ſulphure nitrum,
Intima defodiens trepidantis viſcera terræ,
Supponenſq; cauis tormenta incognita venis,
Conatum eſt portas alias reſerare Barathro,
Qualis via ſit ſtygiam, quæ manes ducat ad Vrbem,
Exitium commune meis verſare ruinis,
Atque vno efflatu meliorem euertere mundum.
Heu facinus totis indignum noctibus Orci,
Danaidúm 3 vincens lectos, 4 *Buſiridis* aras;
Tantalidum 5 menſas, Euxinæ 6 ſacra *Dianæ*,
Iam nihil eſt quicquam ſceleris quò prodeat vltrà.
Tantùm, vt Rex pereat, qui primis ſemper ab annis
Extitit aſſiduus noſtri defenſor, & altor,
Tantum vt Rex pereat, tantummodo, vt occidat vnus,
Inſontem populum cum inſonte offundere Rege?
Eſto, velint omni pietatem expungere corde,
Quid tamen heu terras, & quid loca grata, quid vrbes
Extirpare meas? potuit furialibus orcis
Infernos animos extunc cognoſcere Mundus.
Quod ſi tanta nequam flatu nituntur in vno,
Quæ mala cum totis vrgebunt molibus addent?
Tùm terrà fugêre Pudor, Iuſtumque, Fideſq;
Vultibus auerſis monſtrum ne tale viderent.

1 *Quinta ars eſt incitare populos contra Reges ſub prætextu Religionis.*

2 *De proditione Sulphuraria.*

3 *In quibus fuerunt iugulati 49 Spo. ſi a filiis Danai.*

4 *Qui hoſpites necatos ſacrificabat.*

5 *Vbi Frater Fratri Filios apposuit comedendos.*

6 *In quibus ſacrificabatur ſanguine humano.*

Vix

Vix ego permanſi crebris exterrita damnis
Sollicitoq; trucis multùm Inquiſita furore,
Vix tandem probra effugiens me in tuta recepi.
Sed me continuit fortiſſima cura meorum,
Pro quibus & letum, ſi poſſem ferre, tuliſſem.
Cur ego commemorem duros ex ordine caſus,
Quos tua progenies patitur? ſit teſtis Olympus,
Nulla dies nobis facilis; ſed & horrida noctu
Sæpius exagitant trepidas inſomnia mentes,
Heu mihi, quæ veros æquant inſomnia luctus.
Ergo ego, qui quondam populos enixa Parenti
Felixante alias fæcundo viſcere Matres,
Frigida nunc ſenio, atque effætis languida membris,
Excidia, & clades cogor deflere meorum.
Ergo ego, quæ quondam, quà flectis Phœbe iugales,
Gratáq; fulgenti diffundis lumina curru,
Arma meæ gentis fixi, venerandáq; magnum
Imperium rexi, ſtatuiq; per omnia leges,
Heu nunc infelix totum fugitiua per orbem
Deſpiciar? profugamq; ſua tellure videbit
Vmbrarum rector? feret hoc & *Iupiter* æquus?
Hîc Pietatis honos? ſic Sceptra paterna tueris?
Hæc eſt, hæc caræ Dos, ó Pater optime, gnatæ
Ancipiti verſare domo? ſua quiſque Deorum
Ex auro delubra tenet ſecura, nec vllo
Concutienda metu; proprijſq; Penatibus expers
Eſt Pietas tantùm, de tot modò millibus vna.
Non ego condignas cœleſtibus attamen ædes
Flagito Principibus, nec tanta ſuperbia nempe eſt
Exulibus, deiecta queror, quòd Numine noſtro,
Si tamen eſt Numen, nec ſum Dea forſitan exul,
Errantes 1 Scythiæ, mutatriceſque domorum

1 *Habitantes in currib. nec vnquam habentes domum certam.*

Sauromatum turmæ fato meliore fruuntur.
Heu miſeranda Parens, ſemper tractanda manebunt
Arma meis? ecquas ducunt ſine litibus horas?
Ecqua meis vnquam caruerunt ſæcula rixis,
Tempora a ſi numerem? ſed non antiqua recordor.
Nunc mala paſſa mihi, timor hic meminiſſe priorum
Non ſinit, & terrent præſentia iuncta futuris.
Nec dum exempta lues omnis, grauiora minatur,
Maiore ſq; acuit feruenti Tartarus iras
Pectore: ſcripta dabit flammis, tumuliſque Piorum
Eruet oſſa virûm, plenas populabitur vrbes,
Ex imo Noua Iura feret, noua Numina condet,
Nec prius abſiſtet, quin totum polluat orbem.
Qui Pius obijciet ſeſe, iugulabitur enſe,
Aut miſer appoſito circumtorrebitur igne.
Præuideo quanto ſpumabunt arua meorum
Sanguine Natorum, niſi vos ſuccurritis alti
Numina celſa Poli, tantoſq; retunditis ictus.
In manibus veſtris vita eſt, ſi pectoris vlla eſt,
Quæ moueat pietas, ne ſpes delinquite noſtras.
Cura Deûm Dij ſunt, ſtirpem defendite veſtram
Clementes ſuperi, vos qui defenditis omnes,
Sanguinis ah memores veſtri, tot caſibus actam,
Totque malis merſam, veſtram releuate ſororem.
Tuq; Pater, cuius ſtudioſo pectore laudes
Proſequimur, nomenq; ſolo, famamq; fouemus,
Affer opem, ſoboleſq; tuas his eripe damnis.
Perq; hanc ô Genitor, qua concutis æthera, dextram,
Per Numen te poſco tuum, gnatæq; ſalutem,
Infamem tandem de terris eijce peſtem.
Quod ſi Patris amor, nec te mea gratia flectit:
At laudis miſerere tuæ, miſerere tuorum.

a *A tempore vſque Apoſtolorum vexata fuit Eccleſia ab Hæreticis: vnde nonnulli attribuunt illi Pſ. 128 Sepe expugnauerunt me a iuuentute mea.*

Quan-

Quandoquidem ſi victa cado, ſi pellor ab orbe,
Mecum etiam nomenq́; tuum, nomenq; tuorum,
Quod Deus auertas, ſortem patientur eandem.
Seu te nulla mouent, patrioq; iuuamine Natam
Deſtituis, ſaltem votis hæc annue noſtris
Vt liceat finire mihi cum luce dolores,
Atq; animam hanc triſtem quocunq; abſumere læto.
Tales commemorat luctu repente querelas
Religio, & mœſto demittit lumina vultu.
Vt ſolet Autumno, leuibus ſpirantibus Auſtris,
Frondoſum mugire nemus, confuſaq; raucis
Quaſſorum audiri foliorum murmura ventis;
Sic ibi ſubſequitur preſſo clamore ſuſurrus.
Perculit Indigites quorum miſeratio cordi eſt,
Sors conſanguineæ: tepide, lenteq; regentem
Imperium dixêre *Iouem*; nimiumq; nefando
Indulxiſſe Deos Acheronti, & turpibus auſis;
Et vires, animoſq; Deæ proferre parabant,
Et coniuratas terris inuadere laruas;
Sic omnes mouêre preces, lachrymæq; decoræ.
Cum Pater altipotens nutanti vertice motus
Compreſſit celeres, tremuloq; ſilentia ſceptro
Indidit; Inde toro ſic ipſe profatus eburno.
Nata, meæ vires, mea ſumma potentia terris,
Exue corde metus, lachrymaſq; exterge cadentes;
Non te deſerimus; ſequitur mea cura labores
Indubitata tuos, patriæ pars plurima menti
Semper es, & ſemper medijs infixa medullis.
Hæc quotacunque tua eſt, quam cernis, Regia Cœli;
Hæc quotacunque tua eſt, quam geſto fronte corona.
Si tamen, & quæ fata petunt, & noſtra voluntas,
Scire cupis, dictis adhibeto corda, reuoluam.

Iouis Oratio.

Senſimus indomitum montes glomeraſſe minarum
Nycticolam Regem: pigris laxaſſe lacunis
Ad iubar aërium (portenta infausta) ſorores,
Vidimus & terris vilis molimine morbi
Grandia ſacrilegè violata fuiſſe iubentum
Iam dudum mandata Deum; primiſque, ſacriſq;
Degeneraſſe Orbem Placitis, & pondera veri
Inuentis temerâſſe ſuis; nitidumq; tenebris
Inuoluiſſe diem, paſſimq; ſequentibus annis
Rurſus in antiquum imperium irrepſiſſe Draconem.
Senſimus ad noſtras, quod multùm mouerit, aures
Sanctorum effuſum è terra clamare cruorem.
Sæpius arrepto diſpergere fulmine tetrum
Arſimus opprobrium; ſed mox ab origine Mundi
Diſpoſitam rerum ſeriem, curſumq; tuentes,
Pœnituit, tenuiq; manum; mecum ipſe rependens,
Sunt nondum completa truci data tempora: quando
Debeat ille ſuo penitus concluſus in antro
Æternam tolerare necem, vinctuſq; Catenis
Colla *Cyclopæis* ferat irreparabile damnum.
Interea, ſeu bella mouet, ſeu funera miſcet,
Sic illum ſua fata trahunt: vt gloria maior
Cœlitibus veniat, maior ſibi pœna paretur.
Nec mirum, ſi corda hominum ſeduxerit, atque
Omnia tam facili turbârit terrea niſu,
Quandoquidem poſſeſsa prius malus ille reſumit.
Et memini, figmenta luti, mortalia ſemper
Pectora prona ſuis à primis vſque diebus
In latum tranſiſſe malum, vetitumq; probâſſe:
Sic fragilis Natura venit de crimine Patrum,
Mens vana, & vires molles, ſpoliumq; caducum,
Sic dixi, tolerabo breui manſurus inermis,

Si,

Si, quoties peccant, ſtridentia fulmina mittam.
Adde etiam, vulgus deceptus imagine veri,
Mentis inops, peccans ipſo molimine credit
Eſſe Pium, meritumq; ſuo de crimine ponit,
Proq; ſua facit iſta ſuam contra ille ſalutem.
Condoleo, neq; enim inficiar, 1 ſigniſq; iuuarem
Res hominum, niſi plana nimis mea iuſſa vigerent.
Quædam deſpiciunt capti vertigine mentis,
Diſſimulo, expectoq; diu; nec plura Tonantem
Ferre decet; ſtabilis ſic ſtat ſententia Cœli.
" Non cogenda fides, nec detorquenda voluntas
" Libera terrigenûm; ſed gratia noſtra ſuaue
" Interiora petit, pulſat, mouet, afficit, inſtat;
" Non trahit, aut retrahit, dulcis niſi flatibus auræ.
Hinc ſtat aqua; inde manet non extinguibilis ardor,
Ad quodcunque manum leuet, ipſe in morte videbit.
Et quanto magè doctus erit, grauiora luendum
Supplicia, & cædes, tùm coniurabit Olympus,
Motuque horribili frendens 2 immugiet orbis.
Ergo ego cunctorum cunctos ſeruare Creator
" Ex animo cupiens, prauus nè rideat hoſtis,
" Conſilio potius ſtudeo, quàm viribus vti;
Vt ſi forte meo cognoſcens lumine lumen
Sydereos habeat tandem mortalis honores.
Cuncta tamen tali modero ratione, feroque,
Vt nunquàm ceſſare bonum, nec creſcere tantùm
Poſſe malum patiar, furijs vt cuncta ſecundent.
Sicut in inſtructa triplicem ſum paſſus 3 Erynnim
Proditione frui, promptoſque animare miniſtros
Pu'ueris igniuomas nitrati aperire fodinas.
Attamen euentum nedum conferre negaui,
Attamen innocuos nedum mea dextera texit,

1 *Miracula non fiunt, quia claritas Scripturæ illis non indiget.*

2 *Pugnabit pro eo omnis orbis contra inſenſatos*

3 *Furias Infernales.*

Verum-

Verumetiam occultæ retegens ſpiramina fraudis
In caput ipſorum cecidere pericla nocentûm.
" Qui puram ſine fraude fidem, ſine crimine vitam
" Protegit, ille poteſt deponere quamlibet aurem.
" Et ſi quando vagis iactatur forte procellis,
" Eſt Cœli munus, parient tormenta coronam.
Sic quoque tu proprijs ſenſiſti caſibus ipſa
Gnata, meum auxilium. Neq; enim ſine numine noſtro
Tam diras ſufferre manus, aut ſiſtere longo
Tempore, crede mihi, potuiſſes ſola per orbem.
Atque etiam, ſi animum adijcias, per ferra, per ignes
Grande tuum Nomen feci, peperiq; Fideles,
Quos tibi non vnquam rapiet vel barbarus enſis,
Vel fera proditio, vel vis, vel feruidus ignis.
Nititur incaſſum contra te Peſtifer Orcus,
Perſiſtent immota tibi tua Sceptra, tuumq;
Numen in æternum ſolidæ pietatis honore,
Sincero cultu ſacra venerabitur æde.
Ergo age, ne dubita, atque oculos attolle jacentes,
Semper eris Regina ſolo, Reginaq; cœlo.
Et, ſi pauca damus, nedum conſiſtere certo
Iam tibi ſpondemus lare (amorem agnoſce Parentis)
Aſt augêre decus, vetereſq; excedere fines,
Atque celebratam volitare per ora virorum.
*Iam venit ad Matrimonium.* En ſoboles primæua redit, nouus inchoat ordo
Aurea felici laturus ſæcula genti:
Iam video Babylona rapi, colubrumq; coactum
Non ficta trepidare fuga, & ceruice minaces
Ponere iam criſtas, & virulentia caudæ
Spicula fracta teri; iam commendanda reſurgit
Vera Fides, ſtabilitur Amor, Concordia; Virtus
Iam viget, & Furijs, Caput, è tellure repulſis

Ex-

Extrahit oppressum 1 tenebroso è carcere Verum.
Mente Caledoniam prętanti corpore Nympham,
Discipùlamq; tuam memora, Regalis *Elisæ*
Nominis hęredem dignam, morumq; sequacem,
Dos erit ista tibi donis dotata supremis.
Hoc etenim tribuo dilectę Virginis vmbrę,
Cui tantùm tribui regnanti, atq; astra petenti:
Vt tibi fœlicis sit *Elisa* secunda quietis
Causa recens, firmetq; tuum nimis vndiq; regnum;
Hoc quoq; Fata petunt, & nos concurrimus illis.
Hanc ego selectam Regum de stirpe notaui,
Imposuiq; prius quàm processisset in auras
Nomen honoratum longa celebrabile fama.
Hanc ego conceptam speciali numine foui,
Virtutum sementa animo crescentia largo
Fœnore conspersi, rarasq; in pectore dotes;
Intentusq; dedi formam, qua fœmina nasci
Nulla potest, mecumq; fabros Ars vidit Amores.
Hanc ego productam genibus de Matre recepi,
Ambrosiam fudi ori, radijsq; volutam
Rore ablui *Veneris*, siccaui luce *Dianæ*.
Inde meo jussu nutrix *Pasithæa* relictis
Collibus Idalijs dedit vbera Nectare plena.
Atq; meo ductu, multùm indignante *Calistho*.
*Nais* ad infantis cunabula mollia lusit,
Et cecinit *Philomela* melos, & mille colorum
Sæpe pluit flores formosa *Napæa*, corollasq;
Imposuit lepido capiti studiosa nitentes.
Mollis Erythræo collectas littore conchas
*Nereis*, Heliadum lachrimas tulit alba *Calypso*.
Sæpe illam niueis Nymphæ *Leligeides* vlnis
Accepére suis, & basia pressa dedere.

*Laudes Principis Elizabethæ.*
1 *Pietas fuit Magistra Principis Elizabethæ.*
*Prædestinatio.*
*Conceptio.*
*Natiuitas.*
*Educatio.*
*Infantia.*

Illa renidentes iam tùm motabat ocellos
Blanditias teneras altæ primordia mentis,
Et ridens cunctis cunctos excibat amores.
*Puerilia.* Vix dum parua vagis fixit veſtigia plantis,
Cum ſolita eſt charam plauſu feſtante Parentem
Excipere exiguis collum complexa lacertis,
Et bleſas voces roſeis tentare labellis,
Fortunata Parens, cupido dum lumine vidit,
Oſcula mille dabat, dulcemque fouebat amorem.
*Forma.* Eius erat facies, in qua Materq; Paterq;
Cognoſci poſſent, & originis indita vultu
Signa Coronatæ, iam tunc & blanda voluptas
Oris, & auguſti Maieſtas plena decoris
Pellexit Charites. nudis *Aglaia* membris
*Mores.* Afflauit, docuitq; loqui, corpuſq; mouere,
Atq; leues grauibus ſtudijs componere geſtus.
Dulce micant oculi, ſed honeſto in fulgure ſeruant
Temperiem; ſurgit feſtiuis gratia dictis,
Sed placidam moderat facunda modeſtia vocem.
Frons priuata manet, rigidi ſed plena pudoris,
Tempeſtiuus adeſt ſpiranti riſus in oſtro,
Virgineus quando nitor exigit inſitus ori.
Contemnit cultum, niſi quantum poſcit Honeſtas,
Et neglecta placet, plauditq; incuria formæ.
Si vadit, greſſus etiam venerabilis aptat,
Membrorumq; modos ingenti Principe dignos.
Sæpius at ſiſtit, ſacriſq; tenerrima libris
Incubat, aut magnæ pendet Genitricis ab ore
*Adoleſcentia.* Æmula virtutum. Facilem, docilemq; Iuuentam
Exhibet, & ſtudio puerilia ludicra demit.
Talis *Eliſa* fuit primis venientibus annis,
In quibus ætatem longè ſuperauit, & ipſum

Fœmi-

Fœmineum ſexum, ſpes, atq; optata Parentum.
Sic colui, donec te ſuccedente Magiſtra
Imbiberet ſolidos mores, exemplaq; ſanctę
Priſca Pudicitiæ, atq; illuſtres Principis artes.
Ipſa potes melius reminiſci cætera, poſtquam
Vixiſti ſecum ſolers, ingentia certè
Concipio, nec me concepta ingentia fallunt.
Nuper enim ſummo delapſus ab æthere, nimbo
Conditus obducto, propius quò Virginis ora
Aſpicerem, greſſus ad amica Palatia Patris
Detorſi, obſtupuiq; videns, nec lumina grato
Obtutu expleri poterant; ſed & vſq; moratus
Mirabar ſuauem juuenem, ſimilemq; Mineruæ,
Sic oculos, ſic illa manus, ſic ora ferebat.
Concludam; ſpectem ſpeciem, ſeu pectoris amplas
Diuitias, nullam ſimilem, nullamq; ſequentem
Terra patens, quaquà circundatur æquore, ſeruat.
Hærebant lateri ſociæ, Probitaſq; Fideſq;
Puraq; Simplicitas, Pia Pax, & mitis Honeſtas;
Iuſtitia & ſincerus Amor, Genuinaq; Virtus.
Iam vicina toro plenis adoleuit in annis;
Nec caret Aula Procis. Se ſupplex exhibet vltrò
Splendida Nobilitas. Pariter conſortia poſcunt
Magnifici Reges, quorum ſine compare Regnum,
Et ſine fine latet tellure; Duceſq; potentes
Theſauris, clariq; antiquo ſanguine & armis,
Solliciti cui tanta Viro fortuna fauebit.
At, non hi Reges, quorum ſine compare Regnum,
Non hi, Gnata, Duces bellis, gazaq; potentes,
Dignantur thalamis, quos aut humana voluptas
Eligit, aut tantùm mundana potentia motu
Diſponit proprio, cauſaſq; ex orbe reponit.

*Ætas Nubilis.*

*Aula, & familia.*

Conſocianda prius ſunt hæc connubia cœlo
Quam peragenda ſolo; Coniux electus Olympo
Ibit in amplexus teneros cæleſtis *Elizæ.*
Sic ego, ſic Fata, manent in mente repoſta
Vatis Parcarum, quibus & nos ſubdimur ipſi,
Longæuæ reſponſa *Themis* mendacia nunquam.
Hæc ego, fabor enim, quoniam hæc te cura remordet,
Longius, & ducto fatorum tempore pandam.
Natiuorum de ſede ſenem, cum mouimus iſta,
Creſceret vt ſoboles Diuûm, & fulgentibus aſtris
Aſpiceret charos poſt ſæcula ſera Nepotes,
Ille odio noſtri, quoniam peſſundare māgnum
Imperium nequijt, de quo fuit exul abactus,
Principio latuit, demum meditatus atrocem
Vindictam, erupit, currum ſerpentibus auxit
Letiferis, tergoque feris ſine pace flagellis.
Circumiens tractus orbis percuſſit euntes.
Qui ſolitas crebris augentes ictibus iras
Euomuere nigras (aconita teterrima) biles;
Et quocunq; viam rapuere, nocentibus hauſtis
Infecta eſt Tellus, homines, animalia, plantæ.
Nec ſatur. Hinc terram, quam duplex ſuſtinet axis,
Tentauit dextra, reuoluto cardine lapſam
Protinus immenſo demens immergere Ponto.
Forţiter & quatijt; cum nos è culmine Cœli
Senſimus horrificum motum, ſubitamq; ruinam
Ni curramus, agi: trepidumq; coegimus hoſtem
Terga dare: & tandem cæcis incluſimus vmbris.
Qui, ſi non penitus mundum furioſus ademit,
Naturam tamen inuerſit, labefecit, & omni
Parte ſua mouit. Paulatim cedere retro
Omnia cæperunt, ſolitumq; elementa tenorem

*Ouid. 1. Met. Poſtquam Saturno tenebroſa in Tartara miſſo.*

Ruperunt

Ruperunt, donec cumulo creſcente malorum,
Aurea, quæ fuerant, poſt ferrea ſæcla fuerunt.
Tunc Ver perpetuum floreſcere deſijt agris;
Morbiferi venere æſtus hyemeſq; malignæ.
Hinc *Aquilo* ratibus violentior incidit alto,
Hinc trux abreptas in fluctibus obruit *Eurus*,
Aut *Notus* ad ſcopulos alliſit ab æquore tutas.
*Africus* oppoſitis iterata grandine ſiluis
Decuſſit frondes, dejecit ab arbore fructus.
Tunc virus Colchis, *Scythicis* tùm mille venena
Surrexere iugis; ſpiniſq; horrentibus angues
Infeſtos coluere lacus: Non ante terendis
Vomer erat glebis, Lybicos non curuus arator
Sub iuga dura boues cogebat; at impia terram
Vis ſterilem effecit, duroq; ligone premendam
Reddidit; agricolę didicerunt arua labores
Fruſtra i riguere uepres, ſpinæq; rubentem
Corripuere roſam; tunc aſper inhorruit herba
Carduus hirſuta, creuerunt ſentibus horti.
Tunc fuit heu cædes, & lamentabile vulnus
Terreſtris generis Naturæ damna ſecuti:
Tùm primum dolor inſuetus veſana pupugit
Viſcera, & inſolito rubuerunt ora colore;
Singultu tonuit pectus, timor oſſibus hęſit,
Infecere genas lachrimæ, ſtetit horrida collo
Cæſaries, metus irruit, irrupere labores;
Et turpi carie variauit membra ſenectus.
Vndiq; fluxerunt morbi; pituita, tumores,
Tormina, crudities, ſcabies, ſubit arida febris,
Conſequiturq; grauis ſudor, pallorq;, tremorq;
Senſibus infirmis & creber anhelitus artus
Opprimit oppreſſos; animum neq; ſubleuat ęgrum

Picturæue decus, Melibæaue Purpura Regum,
Harmoniciſve ſonis modulatio Muſica; nec quid
Præſidij reperire poteſt ars cauta; ſed illum
Necquicquam auxilium poſcentem, & voce precantem
Supplice corripiunt ſubitæ formidinis ora.
Diſſidet ipſe ſibi, nec quid fugiatque, velitq;
Permittunt hominem attoniti cognoſcere ſenſus.
Horrida bella recens fomenta cupidinis orti
Cum ratione ſerunt: Patrio depellere regno
Prò Dominum inſiliens ſeruilis turba minatur,
Membraq; cognatis intentant prælia membris.
Tùm vitium oppreſſit virtutem, atque orbe vagari
Informes cæpere ſtryges, fœdiq; ceraſtæ,
Inſidiæq; odiumque, & habendi inſana libido;
Inuidia, atque impurus amor, tùm perfida ad aras
Polluta eſt primùm fraterno ſanguine tellus;
Prævaluitq; nefas, quodque vt cohiberet Olympus
Inuenit pœnas, liquidatum gurgite aquarum
Perdidit injuſtum genus, & modo fulmine, & igne,
Et modo per gladios, modo per contagia peſtis,
Graſſantis occidêre homines, cecidere iumenta,
Nec potuit cohibere tamen, tum denique gentis
Mortalis ſortem multum miſeratus acerbam
Fatidicam depoſco 1 Themim: ſi peſſima terræ
Conditio nulla poſſet ratione leuari.
Illa quidem ingemuit, ſanctoq; arrepta furore
Præſcia venturi, breuiter ſic ore locuta eſt.
" Cum fuerit dilapſus honor, violataq; prorſus
" Iura Sacroſanctæ Pietatis, & abditus intra
" Crimina, criminibus malus inueteraucrit Orbis,
" Sceptra *Palatinis* commixta *Britannica* Sceptris
" Aurea reſtituent renouato ſæcula Mundo.

1 *Ad iſtam etiã cõfugerunt Deucalion, & Pyrrha poſt Diluuium pro remedio reparationis generis humani, Metamorph. l. 1.*

*Oraculum Themidis,*

Inde

Inde ego mente notans & nomina, & omina tanti
Præſidij, vario cupiebam ſidera ſexu
Accelerare duos ſub eodem tempore partus:
Vt Pia progenies binarum iuncta Domorum
Redderet optatam per ſæcula multa ſalutem.
En venit illa dies, quæ fert præſagia Pacis
Rebus in afflictis, & iam labentibus ictu,
Vel prope caſuris. Exulta Curia Cœli,
Creſcite virtutes, rurſus reſerate Lycæum,
Plaudite mortales: diſtinctum ſingula ſexum
Sceptra tenent ætate parem, nil quæritur vltra;
Cedite vos Reges; ingens ſeruabitur vni
Virgo *Palatino*. Puer ô memorande, prius, quam
Natus eras, te fata vocant, & ſidera fauſtis
Ominibus ſignant; firmoque ligamine nexa
Regia nupta tibi ſpondetur *Eliſa* marito;
Nec tamen indignè, meritum ſi pendimus ipſum.
Scilicet haud latis terris, populiſq; ſuperbis
Regibus, aut claris, multoq; potentibus auro,
Concedit 1 Ducibus quidquid vel ſtemmata laudum,
Contribuunt, quidquid media de plebe vetuſtas
Excipit, & raris deſignat honoribus auctum.
*Bauaridum* Soboles nunquam contagia ſortis
Senſit priuatæ; nec ab illo tempore cæpit
Inclyta Nobilitas (quamuis ea priſca notetur)
Cum titulis iunxêre ſuis famoſa 2 *Palati*
Nomina, Germanas inter fulgentia gentes,
Altius orditur; Troiano à ſanguine pulchram
Progeniem; ſuluas trabeas, ſellaſq; curules
Perſeriem aſſiduam deducit ab 3 *Hectore* forti:
Inq; ſuis Magnum (ſublimia nomina) 4 *Carlum*
Patribus enumerat, ſemperq; renata vireſcit,

*Landes Principis Pa*
*tini.*

1 *Irenic. lib. 3. ex*
*German. teſtatur, nu*
*familiæ plus debere G*
*manicam Nobilitaten*

2 *Vade Palatini n*
*men acceperint, l. Ire*
*cum, Vſpergenſen. Ge*
*fridum, Hermannum*
*Entrandum, Naucle*
*Ligurinum, Munſte-*
*rum. &c. qui dicunt*
*a Palatio Rheni, ve*
*Præfectura in Pala*
*Caroli Magni, vel a I*
*li Regione, &c. nom*
*deſumpſiſſe.*

3 *Lege Irenic. l. 3. c.*

4 *Lupoldus Bambu*
*lib. de Chriſtianitate c*
*a prædio Rheni di*
*Carolum mag. origin*
*habuiſſe.*

In

In Natis splendore nouo, meritoq; recenti.
Heroum fœcunda domus, numerosa trophæis,
Pacis amatores 1 HENRICOS, laudis 2 OTHONES,
3 CONRADOS muris, claros pietate 4 PHILIPPOS,
5 RVPERTOS studijs; 6 LVDOVICOSQVE potentes
Dextera, & inuictos 7 FRIDERICOS semper in armis,
Protulit. Obryzas ornauit 8 prole thiaras.
Ex illis habuêre Duces *Franconia* fortis,
*Saxonia* infrenis, montosa *Sueuia*, diues
*Bauaria*, & laxis *Brabantia* fertilis agris.
Sæpius ex illis sumpsit *Pannonia* pinguis,
*Dania* bellatrix, populosa *Bohæmia* Reges.
Inq; humeris horum 9 *Romana* potentia molem
Rebus in ambiguis posuit, iustoq; labantem
Imperio rexêre Orbem; pietate vetustam
Restituêre fidem, bello domuêre 10 procaces.
Hinc Puer Elysius digno natalibus ore
Insurgit, cui *Baccha* tuam, cui *Phabe* iuuentam
Inuideas, atauis plus centum grandibus ortus
Principibus, Generiq; Patrum super additur ingens
Altera Nobilitas 11 Matris, ducentis honores
Gallorum Regum, de quorum sanguine creta est.
Nec genus est citra virtus, animusq; virilis
Nobilitate minor, quamuis impubibus annis,
Et nondum incipiant molles flauescere malæ.
Siue ferocis equi luctantia colla retorquet,
Exiguisq; trahit spatijs, iterumq; reuoluit
Alternos glomerans alternis orbibus orbes,

*Iste Henricus primus Palatinus, Elector Imp. ... sedandos tumultus ... cum aliis Electoribus ... egit Henricum, qui ... icitur Sanctus Imper. An. 1003. Alius Henricus tempore Othonis 2 ... esaris erexit Monasterium Lacense prope Anternach.*

*Inter multos Othones ... uius Familiæ, a quibus ... uittelsparchiũ & alia ... opida condita sunt, fuit ... Magnus Otho, a quo Pars ... Herciniæ syluæ Othonica ... icta est.*

*Ab ædificatione Heidelbergæ Palatinatus ... Metropolis.*

*Philippum Palatinũ ... etate, & omnium virtutum numeris sui temporis mortalibus præstitisse auctor est Rodulphus ... gricola, Aleander.*

*Rupertus Senior fundauit Gymnasium Heidelbergense, An 1346.*

*Ludouicus & Fredericus Fratres fuerunt ... maximi Bellatores, & ... Aenea Syluio magni ... uat, & etiã a Cãpano.*

*Fredericus præcipue ... ctoriosus nuncupatus ... t, qui tres Principes ca... ris vno die spoliauit, ... ius & Sebast. Brant.*

*... Hieronymus Aleander meminerunt.* 8 *Vide Irenic. Lib. 3. c. 50. Vbi scribit: Tanta prosapia Pa... tinorũ tot Episcopi vbiq; &c. vt tantum in recensendis nominibus defatigaretur, tot ex illa progenie Bo... miæ, Daniæ, Vngariæ Reges, &c.* 9 *Fuerunt plures Imp. huius sanguinis, Arnolphus, Ludouicus Dux ... auariæ, Rodulphus, Rupertus, &c.* 10 *Bella innuit, quæ ob Imperium gesta sunt inter Ludouic. Palat. ... mp. & Ducem Austriæ, in quibus demũ Dux Austriæ captus est.* 11 *Mater Palatini præsentis est ex stirpe ... orbonorum Nauar. & Galliæ Reg.*

Et

Et jubet inuitum motis parêre lupatis;
Seu ſtimulat rapido per aperta noualia curſu
Præcipitare viam. dextro eſt mirabilis vſu.
Seu juuet ad ſignum deductos reddere neruos,
Aut geminare pilam, pila peruolat ocyor Euro,
In juſſum volucris collimat ritè ſagitta.
Seu paret excuſſo jaculum torquere lacerto
Aptus erit, jaculo pauidos formidine Ceruos
Strauit, & hirſuto venabula figere dorſo
Aut ſpumantis Apri, uel non tractabilis Vrſæ
Non timet immites, audetq; cupidine laudis
Comminus ire feras. Varijs venatibus apta
Luſtra recognoſcit, nemorumq; recondita cornu.
Torquet *Achemenio*. Nec *Othonis* ſilua valentem
Læta ſuum *Oexidem Calydonibus* inuidet agris.
Nec minus eſt promptus, ſi res ita poſtulet, arma
Sumere & hoſtili rubefactam ſanguine dextram
Oſtentare ſuis, patriamq; replere triumphis.
His quoq; qùum tenerum maturus abegerit œuum
Acta Patrum refert, maiorq; videbitur illis,
Vaticinor. præcellit enim, cum prælia Troiæ
Inſimulat, fictoq; probat certamine verum.
Quod tamen in primis eſt magno Principe dignum,
Quodq; animum recreat noſtrum ſpeſq; adijcit amplas
Iam fauet ingenijs, præbet virtutibus anſam
Florendi rurſus; ſtudioſis prȩmia ponit,
Et pretijs acuit; ſtudioſus & ipſa minores
Incitat exemplo. Iam grandia ſcita Sophorum
Peruoluit ſolers; Naturæ mira Parentis,
Æmulaq; ingenuę factis commiſſa Magiſtræ,
Et quæcunq; monent Ciuilia Iura Patronum,
Quantum opus ad populos, Iuſtumq;, Piumq; tuendum,

*Sylua Othonica Palatinorum.*

*Memalionem intelligit, qui interfecit Aprum terribilem in Calydonia apud Ouid. Metã l. 8.*

*Troia eſt umbratica equitii pugna. Æneicd. 3.*

*Studia Principis Palatini.*

Mirificè callens expreſſis actibus implet.
1 *Virtutes Cardinales.* Sedauit planum tranquilla 1 Modeſtia pectus,
2 *Temperantia.* Iuſtitia excoluit, certo Prudentia paſſu
Dirigit: vt nequeat vano terrore moueri
3 *Fortitudo.* Vis 3 animi præſtat. Non illum mobilis ira;
Non auri veſanus amor; non fœda libido;
Non gula delicijs; non molli copia luxu;
Non leuis ambitio; nec, quæ comitatur honores,
Auſa timoratam tentare ſuperbia mentem.
Nec reliquæ ſordes: intacta pectora ſeruat
Candidiora niue, haud vllius conſcia fraudis
Illabefactus adhuc. Virtus conſtantior annis
Emicat in puero, primordia talia pauci
Vix habuêre ſenes. Subiecti geſta verentur,
Legati reſponſa ſtupent, animoq; minorem
Fortunam cenſent, quamuis ea fulgeat oſtro,
Et caput Auguſtum Diademate diuite cingat,
Imperet & late. Flauis det iura Noricis
*Ditio Palat.* Et geminos pontes ditione, nouoq; forenſes
Contineat campos pulcher quos Neccaris ambit,
Et melior, *Rheni* fœcundat ſponda bicornis;
Terra ferax *Cereri*, & *Baccho* Brurenia iuſſis
Pareat illius, Nortgoia militet armis,
Vindeliciq; agiles, venatoreſq; Licates.
Innumeriq; alij, quos & memorare pigêret.
*Tituli.* Quin etiam, titulis ne nomina ſplendida deſint,
4 *Electoratus.* Eligit 4 Imperij Caput, Caput ipſe 5 futurus,
5 *Vicar. enim Imper.* Si Caput Imperio deſit. nec pondere tanto
Inferior virtutis erit, ſi maximus vnquam
Vertice ſublimi ſeſe librauerit Orbis.
Ipſe quidem Dux ſemper ero; nec rebus in altis
Deſtituam, Iuuenem factis ingentibus illum

Semi-

Semideum faciam, graue ſuccedente ſenecta:
Nec veniens ſæclis obliuiſcentibus æuum
Nomina delebit. Quæ ſi ſtudioſa requiris,
Nomina vbiq; ſonant: vltra iam fama receſſus
Thetyos euexit: iamnùm Babylonia mendax
Palluit auditis; iamnùm, ſibi conſcia, tanto
FRIGESCIT DEJECTA RIGENS CVSTODE tuorum
Stulta Superſtitio, quæ non bacchabitur vltra.
Hic FRIDERICVS erit, quem fata antiqua petebant,
Cui fortunatas præfulgens *Anglia* tedas
Euget, perpetuo cognataq; fœdere iunget
Sceptra ſuis Sceptris; Fatiq́ue, Meiq́ue, Tuiq́ue
Spes tandem explebit feſſas, & vota piorum,
Et rata perſpicies prædicta oracula Vatis.
Filia ſume animos, Superi gaudete potentes:
Sceptra *Palatinis* commixta *Britannica* Sceptris
Aurea reſtituent renouato ſæcula Mundo.

*FINIS.*

## EPIGRAM.

RHENVS *in Oceanum tam longum ferre tributum*
*Dedignans, rigida talia voce dedit.*
*Iam ſatis â primis nunquam finibilis æui*
*Sors mea principijs irrequieta fuit.*
*Actorum ſine fine mihi, & ſine honore laborum,*
*Iam piget, & tandem ſiſtere nempe iuuat.*
*Conuenit Oceanus, ne commoda fœdera rumpat,*
*Quidquid erit fluuio carius Orbe dare.*
*Deſpondens ideo Britonum de littore Nympham:*
*En quid habet totus dignius orbis, ait.*
*Attonitus, tantam dum ſuſcipit ille Patronam*
*Dixit: In æternum pacta tributa feram.*